

.xxviii. OMELIA IN PARASCEUEN DE PASSIONE DOMINI .
HOC PRIMVM omnium inquirendum est humano generi . qualiter
mundus a principio creatus et formatus est ab omni poten
ti omnium conditore deo . et quomodo in peccato postea lap
sus est . Et iterum per dei misericordiam redemptus et restaura
tus est . Duas igitur res ante omnem diem et ante omne
tempus condidit deus . Angelicam uidelicet creaturam et in
formem materiam . quę quidem ex nichilo facta processit .
qui autem uiuit in aeternum . secundum materiae substantiam
creauit omnia semel . nihil non simul factum in omnibus crea
turis reliquit . non omnia uero ex nihilo condidit deus .
sed quedam fecit ex nihilo . quedam ex aliquo . [.ii.] Ex nihilo .
angelosⁱ et informem materiam et animas . ex aliquo . homi
nem et cęteras mundi creaturas . Sex igitur diebus rerum
creaturas condidit deus . Primo die condidit lucem dicens .
Fiat lux et facta est lux . Secundo firmamento cęli . quod
diuidit inter aquas superiores et inferiores . Tertio .
speciem maris et terrę dicens . Congregentur . aquę quę
sub cęlo sunt in locum unum . et appareant arida . Et uo
cauit deus aridam . terram . congregationesque aquarum appel
lauit maria . [.ii.]ⁱⁱ Quarto . sidera id est duo magna lumi
naria . luminare marisⁱⁱⁱ ut preesset diei . et luminare
minus ut preesset nocti . et stellas et posuit eas in firma
mento caeli ut lucerent super terram . et diuiderent lucem
ac tenebras . Quinto pisces maris et uolucres caeli .
benedixitque eis dicens . Crescite et multiplicamini et re
/66r/-plete aquas maris . auesque multiplicentur super terram .
Sexto bestias iumenta . et omne quod repit super terram
in genere suo . Nouissime hominem primum adam dicens .

faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram .
Id est in aeternitate et moribus . et presit his omnibus . Ac si
dixisset . Ideo dominetur his omnibus creaturis uisibi-
libus . Id est piscibus maris et uolatilibus cęli et uniuersis
animantibus que mouentur super terram . quia non ipse propter
illa . sed ipsa propter hominem facta sunt . [.iiii.] Igitur perfecti sunt
cęli et terra . et omnis ornatus eorum . Plantauit quoque dominus
deus locum apulentissimum suauiissimum que in oriente .
Qui ebraicae eden . grece paradysus dicitur et latine ortus
deliciarum interpretaetur . In cuius medio fons magnus exo-
ritur . De quo flumina quattuor mundi principalia
emanant . Id est geon . fison . tigris . eufrates . Tulit
ergo dominus deus hominem et posuit eum in paradysum . ut
operaretur et custodiret illum . Operabatur quidem in pa-
radysu . non pro necessitate sed pro diliciosa uoluntate .
Et custodiebat sibi ipsi paradysum . Né eum peccando
ammitteret . Dixit quoque dominus deus . Non est bonum esse
hominem solum . faciamus ei adiutorium simile sui . [.v.] Inmi-
sit ergo dominus soporem in adam . cumque obdormisset tulit
unam de costis eius et repleuit carnem pro ea . et edificauit
costam quam tulerat de adam in mulierem . et adduxit
eam ad adam ut uideret quid uocaret eam . Prophetauitque
adam dicens . Hoc nunc os ex ossibus meis . et caro de
carne mea . Hęc uocabitur uirago . quia de uiro assump-
ta est . quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem .
/66v/ et adhe`re`bit uxori suę . et erunt duo in carne una . praecepit
quoque dominus addicens . Ex omni ligno paradysi come-
de . de ligno autem scientię boni et mali né comedas . In
quocumque enim die comederis ex eo more^{iv} morieris . [.vi.] Ser-
pens autem qui erat callidior cunctis animantibus terre
que fecerat deus . Dixit ad mulierem . Cur precepit uobis deus né

comederetis de omni ligno paradisi . Respondit mulier .
De fructu lignorum quę sunt in paradysio uescimur . De fructu uero ligni quod est in medio paradysi precepit nobis . né comederemus et né tangeremus illud ne forte moriamur .
Dixit autem serpens . nequaquam morte moriemini . sed scit deus quod in quocumque die comedetis ex eo . Aperientur oculi uestri et eritis sicut dii . scientes bonum et malum . [.vi.] Credidit igitur mulier suggestioni serpentis . et quia bonum erat lignum ad uescendum et pulchrum oculis . tulit de fructu illius sinistra manu . et idcirco breuior est humano generi quam dextera . quia illa extensa est ad malum . et comedit deditque uiro suo . et statim aperti sunt oculi eorum .
Hieronimus dicit . Numquid antea caeci erant? aut a deo sine oculis creati sunt? non utique . sed ad bonum non ad malum apertos oculos habebant . Sed tunc aperti sunt ut uiderent quia nudi essent . intelligentes bonum et malum post mandati transgressionem . [.vii.] Dum deambularet ergo dominus in paradysio ad horam post meridiem . Abscondit se adam . et uxor eius a facie domini dei in medio paradysi . Vocauitque eum dominus dicens . Adam ubi es? qui ait . Audiui domine uocem tuam in paradysio et timui . eo quod nudus essem et abscondi me . Et dixit . quis indicauit tibi quod nudus esses? nisi ex-
/67r/ ligno uetito comedisti . Dixitque adam . Haec mulier tradidit michi et comedi . Dixitque deus . Pro eo quod oboedisti uoci uxoris tuae plusquam me maledicta terra in opere tuo . Cum operatus fueris eam . spinas et tribulos germinabit tibi . et in sudore uultus tui uesceris pane tuo . donec reuertaris in terram . Terra enim es . et in terram ibis . Dixit quoque deus . Ecce adam quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum . Videte ne forte sumat de ligno uitae et uiuat in aeternum .
Eiecit ergo dominus deus adam de paradysio ut operaretur terram

de qua factus est . et collocauit eum ante paradysum uoluptatis . quandiu enim abstinuit . mansit in paradyso . ut autem manducauit . statim expulsus est . Et factum est omne tempus quo uixit adam in labore et erumna super terram . anni .dcccc.xxx. et mortuus^v est et descendit in infernum . et omne humanum genus post illum usque ad aduentum domini . Hieronimus ait . Quomodo autem non est mortuus adam dum comedit ex ligno de quo dixerat ei dominus . In quocumque enim die comederis ex eo . morte morieris . quattuor enim sunt genera mortis . Prima enim mors est cum deus propter peccatum relinquit animam . Secunda . cum anima relinquit corpus . Tertia . dum anima post mortem corporis in inferno dampnatur . Quarta . cum post resurrectionem caro simul et anima in poenis cremabuntur eternis^{vi} . Mortuus est tunc adam secundum hanc primam mortem quam diximus recedendo a deo . Sic enim a deo creati sunt . ut possent semper immortales uiuere . si tamen preceptum dei seruassent . et si uoluissent eius uerba contemnere . Possent /67v/ utique mori . in arbore uero illa qualiscumque fuerit . preceptum dei intelligendum est . In obseruatione enim precepti . scientia erat boni . in transgressionem uero precepti . scientia erat mali . serpens autem tunc sicut nec modo loqui non poterat . sed per eum diabolus locutus est nesciente ipso serpente quid loqueretur . sicut et nunc diabolus per demoniacos loquitur . cum ipsi nesciunt quid loquantur . Illud quoque scire et intelligere debemus . quod ante aduentum domini saluatoris diabolus regnabat in mundo . et omnes populi peccatores et iusti exeuntes a corpore . in infernum descendebant propter originalia adae peccata que prediximus de illo pro eo

quod in paradyso transgressus est mandatum dei . Sed
quando uidit deus quod totus mundus periret per inuidiam
diaboli . per eius enim inuidiam mors subintrauit in orbem
terrarum . misertus est generi humano . misit filium
suum natum ex muliere factum sub lege erant redimeret .
Descendere dignatus est unicus dei filius de sede patris .
Hoc est uerbum dei in utero sanctę marię uirginis . in tanta
humilitate uenire dignatus est in mundo oboediens
imperio dei patris . ut per humilitatem uinceret diabolum
inuentorem mortis atque auctorem . et liberaret genus
humanum per passionem et crucem . et ligaret diabolum cum
angelis suis `in` infernum deorsum . In caelo aequalis et coe-
uus deo patri absque initio et sine fine fulgebat . et tamen
in terra nasc^{vii} pannis inuolui dignatus est et in presepio
animalium non in terrenorum regum palatio iacuit .
Ille in aegypto fugatus est herode illum quęrente in
/68r/terficere . angelo annuntiante ioseph et dicente . surge
et accipe puerum et matrem eius et fuge in aegyptum . et
esto ibi usque dum dicam tibi . Ille in corpore circumcisis
est secundum legis consuetudinem . Ipso dicente . non ueni
soluere legem sed adimplere . Ille a iohanne bapti-
sta in iordane baptizari dignatus est . Ille quadra-
ginta diebus et quadraginta noctibus ieiunauit . Ab
ipsum ductus in deserto id est uoluntate . ut qui per
gulae concupiscentiam ceciderant de paradyso .
per abstinentiam ad suam redirent patriam . Post hęc
autem multa signa et mirabilia fecit in mundo .
caecos inluminauit . claudos ambulare fecit .
leprosos mundauit . surdis auditum reddidit . mor-
tuos suscitauit . et alia multa innumerabilia
quę enarrare perlongum est . At ubi uenit pleni

tudo temporis ascendit in montem oliueti . Vbi
habitare et frequenter predicare consueuerat .
et accesserunt ad eum discipuli eius . Id est petrus
et iohannes . et andreas . et interrogabant eum
separatim dicentes . Dic nobis domine quando hęc
erunt que uentura prędixisti signa et prodigia .
et quod signum aduentus tui et consummationis
seculi . Ipse autem respondens . et ammonitione
paterna illos ammonens dicebat . Videte
ne quis uos seducat . Multi enim uenient pseudo-
christi et pseudoprophete in nomine meo dicen-
tes ego sum christus . et multos seducent . dabunt
enim signa magna et prodigia . Ita . ut in errorem
/68v/ inducantur si fieri potest etiam electi . ecce predixi uobis .
Audituri enim estis prelia . et opiniones preliorum . cauete
né turbemini . Oportet enim haec fieri . sed nondum
statim finis . Vigilare ergo quia nescitis qua hora
uel qua die dominus uester uenturus sit . Beatus enim ille ser-
-uus quem cum uenerit dominus eius . inuenerit uigilantem .
Amen dico uobis super omnia bona sua constituet eum .
Haec autem et his similia de nouissimis temporibus et seculi
consummatione . predixit eis . et factum est cum consummas-
set sermones hós omnes . dixit discipulis suis . . . ~ .
Scitis quia post biduum pascha fiet et filius hominis
tradetur ut crucifigatur . Hieronimus ait . Erube-
scant qui putant saluatorem timuisse mortem .
et passionis pauore dixisse . Pater mi . si fieri po-
test transeat a me calix iste . Qui enim post biduum
pascha facturus et tradendum sé ut crucifigeretur
nouerat . potuerat si id uoluntatis esset . declinare
insidias hominum et in alia terra fúgere . Porro qui ait

post biduum pascha fiet . id quod sacratum est significat .
quia post duos dies clarissimi luminis ueteris ac
noui testamenti . uerum pro mundo pascha caelebratur .
Pascha enim quod ebraice dicitur phase . non a passione
ut plerique arbitrantur . sed a transitu nominatur .
eo quod exterminator uidens sanguinem in foribus
israhelitarum pertransierit . nec percusserit eos . transitus
autem noster bene caelebratur . si terrena id est peccata .
et aegyptum id est tenebras dimittentes . ad caelestia
bona festinemus . Tunc congregati sunt principes sacer
/69r/-dotum et seniores populi in domum c`h`aiphae principis
sacerdotum . ut consilium darent quomodo iesum dolo te-
nerent et occiderent . Hieronimus dicit . Qui debue-
rant pascha uicino parare uictimas . leuigare tem-
pli parietes . pauimenta uerrere . altaria lauare .
uasa mundare . et secundum ritum legis purificari .
ut esui agni digni fierent . congregantur in eun-
tes consilium quomodo occidant dominum . Dicebant
autem non in die festo . ne forte tumultus fieret in
populo . Non pro honore diei solemnus nec malitiae
timore haec dicebant . sed cauentes ne auxilio po-
-puli de suis manibus tolleretur . Prima autem die
azimorum in qua necesse erat occidere pascha . et ag-
num secundum consuetudinem legis manducare .
accesserunt discipuli ad iesum . Id est petrus et io-
hannes dicentes . Magister ubi uis paremus tibi
comedere pascha? At iesus dixit . Ite in ciuitatem
et occurret uobis homo anforam aquae portans .
sequimini eum in domum in qua intrat et dicite patri-
familias domus . Magister dicit . ubi est diuersorium
ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse

ostendet uobis caenaculum magnum stratum . et ubi parate . et ita inuenerunt sicut predixit illis et parauerunt pascha . Hieronimus dicit . Ipse autem quasi deus sciebat sicut certe erat quomodo inuenerent . et hoc quidem caenaculum supra positum . eleuationem de hac uita mortali ad inmortalem significat uitam . Et cum facta esset hora discubuit cum /69v/ duodecim discipulis suis . et edentibus illis dixit . Amen dico uobis . quia unus uestrum me traditurus est . Et contristati ualde coeperunt singuli dicere . Numquid ego sum domine? Hieronimus dicit . Certe nouerant undecim apostoli quod nichil tale contra dominum cogitassent . sed tamen plus credebant magistro quam sibi . quia quicquid ille diceret mutari non poterat . Et ipse respondens ait . qui intingit mecum manum in parapside . hic me tradet . Filius quidem hominis uadit sicut scriptum est de illo . Vae autem homini illi per quem filius hominis tradetur . Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille . Non tamen putandum^{viii} est ante fuisse quam nasceretur . quia nulli potest bene uel male esse . ni ei qui fuerit . sed multo melius est non subsistere . quam male subsistere et in finem perire . Caenantibus autem illis accepit iesus panem et benedixit ac fregit . dedit que discipulis suis et ait . Accipite et comedite hoc est corpus meum . et similiter accipiens calicem gratias egit . et dedit illis dicens . Hic est enim calix sanguis meus in nouo testamento . qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum . Sciendum quod non pro omnibus dixit . quia iustos tantum

detulit . et illos sacrilegos in infernum re-
liquit . In luca autem duos calices legimus
fuisse benedictos . unum uini . et alterum aquæ .
Illud quidem significat . quo absque his coniunctis
/70r/ nemo myssam caelebrare debet . quia nisi aqua com-
mixta uino fuerit . populus in ea partem non habet .
per aquam enim populus designatur . Per commixtionem
igitur aquae et uini . copulatio populi significatur
ad deum . Hic autem uetus completur testamentum agnum
edendo . et nouum inchoatur myssam caelebrando .
quae in ueteri lege per melchisedech sacerdotem
prefigurata est . quando panem et uinum ad abraham
exhibuit benedictum . Ne me ergo dubitare debet
oblationem benedictam esse corpus domini . et uinum
consecratum christi esse sanguinem . Et idcirco præ-
parent se unusquisque et emundare studeant
conscientiam suam . Vt uasa sint digna et munda
ad accipiendum corpus christi et sanguinem ad emun-
dationem uitae . His autem expletis . et ymno dicto
exierunt in montem oliueti . qui interpretatur mons
trium luminum . Ubi est refectio post laborem
dolorisque solacium . et notitia ueri luminis quod est
christus . Tunc dicit illis iesus . Omnes uos scandalum patie-
mini in me in ista nocte . Ideo predixit eis quod scan-
dalum passuri essent in illo . ut cum passi fuissent non
disperarent salutem . sed agerent poenitentiam ut
liberarentur . Scriptum est enim percutiam pasto-
rem qui est christus et dispergentur oues id est apostoli .
Respondens autem petrus ait illi . Et si omnes scandali-
zati fuerint in te ego numquam scandalizabor .
Petrus quidem de ardore et magnitudine fidei quam

habebat in illo promittebat . et saluator quasi deus
/70v/ futura intelligens dicebat . Amen dico tibi petre quia in
hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis . . ~
Tunc uenit iesus cum illis in uillam quę dicitur gezemani . et dixit
eis . sedete hic donec uadam illuc et orem . Gezema
ni uero interpretatur uallis pinguissima . In qua iesus
consueuerat frequenter habitare . Ibi iussit disci-
pulos sedere paulis per illum expectantes redeuntem .
postquam pro cunctis solus ter orasset exemplum nobis
demonstrans . ut nos pro peccatis nostris tribus uicibus OReMUS .
Preteritis presentibus et futuris . Et uenit ad illos et in-
uenit eos dormientes pre tristitia . quę eis erat futura
et dixit illis . Dormite iam et requiescite . O quam
magna benignitas magistri et caritas erga discipulos .
ut enim illi requiescerent . Ille uigilabat et pro eis ora-
bat ut illorum fides non deficeret . et quasi interuallo
facto dixit eis . Surgite eamus . ne nos quasi timi-
dos inueniant iudei . ecce enim appropinquauit qui me
tradet . Adhuc eo loquente ecce iudas unus de duo-
decim uenit . Vnus quidem numero non unus me-
rito quod pro uenditione domini sui perdiderat . Et cum eo
turba multa cum gladiis et fustibus . qui misi^{ix} fuerant
a principibus et senioribus populi . et appropinquauit
iesu ut oscularetur eum et ait illi . Aue rabbi . et os-
culatus est eum . Dixitque illi iesus . Amice . ad quod ue-
nisti? Osculo filium hominis tradis? Tunc acces-
serunt et manus iniecerunt in iesum . et tenuerunt
eum . Et ecce petrus extendens manum exemit
gladium . et percussit seruum principis sacerdotum et ampu-
/71r/-tauit auriculam eius dextram . Respondens autem iesus
ait . sinite usque adhuc . et cum tetigisset auriculam eius sana-

uit eum . Abscisio autem auriculae significat ablatio-
nem meriti sacerdotii a iudeis . et quod iterum restaura-
ta est hoc quidem demonstrat . quod post conuersionem
gentium omnis israel saluus erit . Tunc ait iesus petro .
conuerte gladium tuum in locum suum . Omnes enim qui accepe-
rint gladium gladio perhibunt . An putas quia non
possum rogare patrem meum . et exhibebit mihi modo
plusquam duodecim legiones anglorum? Quomodo ergo
implebuntur scripturę quia sic oportet fieri? Nume-
rum hic finitum posuit . pro infinito . Non indigeo duo-
decim apostolorum auxilio . qui possum habere .lxx^{ta} .ii^o .
milia anglorum . si certare uoluisse . Vna quidem legio
apud ueteres . sex milibus completur hominum . Iste quoque
gladius secundum matheum quem qui acceperit peribit .
uindictam significat . Ác sí dixisset . Dominus qui iniuriarum
suarum mala uindicauerint in hac uita . in suis peri-
turi sunt peccatis . quæ si patienter pertulissent . pro mar-
tyrio illis computarentur . Ipsa ueritate dicente . si
remiseritis hominibus peccata eorum . dimittet uobis
pater uester caelestis peccata uestra . Et iterum . Si non
remiseritis peccantibus in uos . nec dimittetur uobis .
quapropter et hunc conuerti in uaginam precepit gla-
dium . vt unusquisque de corde suo remittat fratribus
suis in se peccantibus . Hęc est nostrorum indulgentia
delictorum . ut si in nos indulgeamus peccantibus . dimit-
tatur nobis ipsa attestante ueritate . Dimittite
/71v/ et dimittetur uobis . Deinde post haec et multa his
similia quę enarrare perlongum est . uenit ad passio-
nem quam pro salute humani generis uoluntarie
pertulit . Obpropria enim pro nobis et falsa sustinuit
testimonia . dicentibus falsis testibus . Hic dixit pos

sum destruere templum hoc . et post triduum
reaedificare illud . Quomodo falsi testes sunt?
dum eadem dicta sanctificati sunt que uere iesus
dixerat . Idcirco autem falsi testes sunt . quia de
templo salomonis quod .xl. et sex annis aedifica-
tum est illum dixisse putabant . Ille autem de templo
corporis sui dixerat . Falsus igitur testis est qui
non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur .
ille irrisiones pro nobis . Ille sputa . Ille flagella susti-
nuit . dicentibus iudaeis . Reus est mortis . et expuen-
tes in faciem eius colaphis eum cedebant . palmasque
in faciem eius dantes irridebant eum dicentes . Prophe-
tiza nobis christe . quis est qui te percussit? Ille quoque
spineam coronam pro nobis super caput portauit . et ad
extremum in cruce pro nobis inter duos latrones sus-
pensus est . Et pretereuntes blasphemabant eum
mouentes capita sua et dicentes . Alios saluos
fecit . seipsum non potest saluum facere? Hiero-
nimus dicit . Velint nolint confitentur scribę
et farisaei . quod alios saluos fecerit . Ó iudaei . uestra
uos condemnat sententia . qui enim alios saluos
fecit . Vtique si uellet et seipsum saluare poterat .
Et iterum dicebant . Si rex israel est descendat nunc
/72r/ de cruce et credimus ei . Ó iudaei . fraudulenta est uestra
promissio . quid enim plus est de cruce adhuc uiuen-
tem descendere . án de sepulchro mortuum surgere .
surrexit enim et non credidistis . quanto magis si de
cruce descenderet dum adhuc uiueret . non credere-
tis ei . Unus autem ex his qui pendebant latronibus
blasphemabat eum dicens . si tu es christus saluum fac te
met et nos . Respondens autem alter increpauit eum

illum dicens . neque tu times deum . dum in eadem damnationes . et nos quidem iuste . nam digna factis recipimus . hic uero nichil mali gessit . et conuersus dixit ad iesum . Domine memento mei . cum ueneris in regnum tuum . Et dixit illi iesus . Amen dico tibi . hodie mecum eris in paradiso . Ammirandum est fratres karissimi quam magna donatio dei . plus enim tribuit quam rogatur . Non enim postulauerat latro nisi tantum memorari saluator autem non solum memorari . sed etiam eum esse secum in regnum suum promisit . Iesus autem circa horam nonam clamauit uoce magna dicens . Pater . In manus tuas commendo animam meam . et hæc dicens . Inclinato capite emisit spiritum . Hic quidem diuine potestatis ostendit indicium dicendo emittere spiritum . sicut ipse alibi ait . nemo potest tollere a me animam meam . sed ego pono eam a me ipso . ut iterum accipiam eam . Hiñc agustinus ait . Incipiamus ergo fratres karissimi hodie . de crucis tropheo predicare . et honoremus hunc diem . quia caelebrando solemnitatem /72v/ huius diei magnis coronabimur uirtutibus . In quo per lignum crucis totus saluatus est mundus . Hodie enim diabolus uictus est . et homo a poenis absolutus est . et deus glorificatus est . Hodie quidem apud iudaeos sol ab hora sexta usque ad horam nonam obscuratus est . Non enim ferre poterat creatura . Iniurias creatoris sui . Et ideo retraxit sol radios suos . ne uideret impiorum facinora . Hodie quidem peccauit adam in paradyso . et hodie eiectus est de illo . Hodie uero christus in sexta mundi aetate eleuatus est in cruce . et humanum genus saluatum est per crucem . Hodie siquidem exiuit fur a paradyso terre

no . et hodie introiuit latro in caelesti regno . Con-
siderate ergo fratres karissimi uerum dei iudicium . quia propter
unum peccatum damnatus est adam . et propter unam fidei
uocem saluatus est latro . vnum peccatum deiecit illum .
et una iustitia introduxit iustum . Videte fratres quam
ammirabile est misterium dei et inscrutabile iudicium
eius . quia nemo ab initio mundi ante latronem repro-
missionem paradysi accepit . queso ergo uos karissimi .
perscrutamini diligenter uetus et nouum testamen-
tum . quia ibi intelligetis quod non abraham .
non isaac . non iacob . non moysen . nec prophetas . nec
apostolos meruisse repromissionem paradysi . sed ante
omnes reperietis latronem accepisse . neccessarium
est ergo querere . Cur huic ante tales uiros fide
dignissimos et in bonis operibus potentissimos . repro-
misit deus paradysum . Haec est enim causa . quia isti
per signa et mirabilia que sibi per dei misteria sunt reuelata .
/73r/ deo crediderunt et eum adorauerunt . Iste autem non uidit
saluatorem super thronum regalem . non adorari in templum .
non loquentem de caelis . sed in poena sibi coniunctum
quasi latronem . et tamen rogauit eum quasi regem in
caelis sedentem . et per fidem . omnium uocauit dominum dicens .
Domine . memento mei dum ueneris in regnum tuum . et ideo
credendo uerum regem eum esse . meruit ante tales uiros
audire uocem eius sibi loquentem . Amen dico tibi hodie
mecum possidebis regnum . Nemo ergo dubitet fratres
karissimi a deo multa petere . quia plus solet tribuere
quam rogatur . sicut apostolos ait . quia nec oculos uidit .
nec auris audiuit . nec in cor hominis ascendit . quanta
et qualia sunt que preparauit deus . eum uere adorantibus
et diligentibus se in uera caritate . Haec nobis in celesti-

bus prestare dignetur saluator mundi . qui cum patre
et spiritu sancto uiuit et regnat per infinita secula seculorum amen .

- ⁱ angelos] *corr. from angelus*
- ⁱⁱ .ii.] *recte .iii., the first minim now obscured by a repair*
- ⁱⁱⁱ maris] *corr. by a later hand to solis*
- ^{iv} more] *sic pro morte*
- ^v mortuus] *corr. from mortuo*
- ^{vi} eternis] *originally written as aeternis, but the a has been erased*
- ^{vii} nasc] *sic pro nasci?*
- ^{viii} putandum] *corr. from potandum*
- ^{ix} misi] *altered by a later hand to missi*